



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Diarium breve

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

nescis occasum? quando illucesces mihi, lux aeterna, quando intrabo in gaudium Domini mei? Non ut gaudeam de bonis tuis, sed de te & propter te, qui es omne bonum, & diligam te toto corde, & animâ meâ.

Diarium breve conflatum ex sacris Litteris.

MEMENTO, mi frater, brevem esse viam & vitam, quam agis. Propositum præmium aeternum & bravium. Quid autem postulat pro eo à te Deus? ut salvus esse velis. Si enim volueris gratiâ ejus poteris, & mandata servare, quicquid mundus, quicquid caro oblectetur; Illa enim suavia sunt, & facilia valde. Dic enim, obsecro, difficile est amare omne bonum? & non maledicere, non pejerare? Festis & Dominicis Missam audire? parentibus obedire, non occidere, non mœchari, non furari, nullum calumniari? hæc via nõnne facilis, & suave jugum, & onus leve? Si velis, semitam, ut sic loquar, etiam addo, si libet utere.

Præsentia certè Dei una sufficit in actionibus nostris, maxime si Jaculatoria illa; *Ex te & in te*, &c. quæ subjicietur, cum signo crucis, & pietatis sensu repetatur: tamen varietatis causâ hæc habe:

Mane dum surgis, dic, facto signo crucis:

Anima mea desideravit te in nocte, ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia. Credo tibi Domine mi, & in te spero, ac toto corde te diligo.

Nota. Jaculatoriam illam: *Ex te, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia*, continere Primò sui humiliationem; quia ex Deo omnia esse fatemur; Secundò, per *in te* memoriam præsentia ejus; Tertiò, per *pro te*, puram intentionem, & amoris Dei actum per illa verba, *Credo tibi Domine mi*, &c. actus fidei, & spei, & caritatis disertè exprimuntur.

Hæc subjici omnibus Jaculatoriis potest, aut loco illarum usurpari.

Oratio item alia esse poterit:

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quâ multipliciter tibi caro mea. In terrâ deserta, in via, & in aquosa, sic in sancto aparui tibi, ut vid. rem virtutem tuam, & gloriam tuam. Psalm. 61.

Post hæc primò, gratias age; Secundò, peccata detestare & vitare propone; Tertiò, actiones offer ad gloriam Dei: & dic, *Pater noster, Ave, Credo.*

Dum meditationis tempus est, vel piæ lectionis; signo crucis te signa, & dic:

Magister adest, vocat te. Dominus aperuit mihi aures; ego autem non Ioan. 11. Isaia 50.

non contradico sermonibus Sancti. & hoc ipso offer te ad faciendam quæ leges. *Ex te enim*, &c. ut supra. Item *Credo tibi Domine*, &c.

Dum vadis ad Sacrum, rem omnium maximam:

Exod. 3.

Cogita te ire ad montem Calvaria, & dic: *Vadam & videbo visionem hanc magnam: ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia. Credo tibi Domine*, &c.

Hic primò in Sacro peccata recogita, contritionem excita, & propositum renova bonæ vitæ.

Secundò, quæ tibi faciendâ illo die; singula Deo offer.

Tertiò, in communionem sacerdotis spiritualiter communica,

Cum à Superiore vocaris:

Ioan. 14.

Matth. 16.

Sed ut cognoscat mundus, quia diligo te Patrem meum. Surgite, eamus hinc. Illum ut Deum audi & alloquere,

Dum cubiculum ingrederis:

Cant. 8.

Quis mihi tribuat ut inueniam solum? Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus & omnia.

Dum pulsatur ad ostium, actum amoris in Deum & proximum elice, & dic:

Intra Domine in animam serui tui, & proximum ut Christum suscipe.

Dum ad exhortationem audiendam te paras:

1. Reg. 3.

Psal. 122.

Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Sicut oculi ancilla in manibus dominae suae; ita oculi nostri ad te, Domine Deus meus.

Dum faciendum aliquid, intentionem purifica:

Psal. 44.

Eruclauit cor meum verbum bonum: dico opera mea regi. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Ex te, &c.

Nora, calamum nec per se, nec sine atramento scribere; ita nec nos sine Deo quidquam facere posse, sed in Domino qui nos confortat.

Dum cum proximo conversandum, ut eum Domino

lucreris, dic:

Ioan. 6.

Cant. 1.

Nemo potest venire ad te, nisi tu traxeris eum. Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Dum Superiorem adis, in illo Deum tibi propone:

Luc. 10.

1. Reg. 3.

Qui vos audit, me audit. Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Ex te enim, &c.

Dum comedis, agnosce largitorem, & gratus dicito:

Psal. 70.

Psal. 144.

Deus, qui pascis me à iuventute mea, usque in senectam, & senium ne derelinquas me. Aperis tu manum tuam, & implet omnes animalia benedictione: ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia.

Dum bibis, amoris actum excita,

Psal. 41.

Prov. 9.

Ioan. 4.

Sititit anima mea ad Deum fontem vivum. Venite, & bibite vinum, quod miseri vobis. Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in aeternum. Ex te enim, &c.

Dum

Dum studes, cum nihil scire juvet, nisi Deum, ejusque voluntatem dic:

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Psalm. 142.

Dum ludis:

Adhareat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, Deus meus, in principio laetitiae meae. Ex te enim, &c. Psalm. 136.

Dum ambulas:

Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Providebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Psalm. 138.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Psalm. 135.

Dum pulchra vides:

Ecce tu pulcher es, dilecte mi. Ex te enim, &c. Cant. 2.

Dum bona fieri conspicias:

Ex te, Domine, & in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia. Credo tibi Domine, &c.

Dum eleemosynam facis:

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ex te, &c. Matth. 25.

Dum mala audis, & vides:

Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus. Hac est voluntas Dei sanctificationis nostrae. Ex te enim, &c. Amos 3.
1. Thess. 4.

Dum aliquid pateris:

Dominus mortificat, & vivificat. Si bona de manu Domini accipimus, mala quare non accipiamus? Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Ex te enim, &c. 1. Reg. 2.
Iob. 2.
Luc. 24.

Dum quid boni fecisti:

Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus. Omnia in nobis operatus es, Domine. Ex te enim, &c. 1. Petr. 4.
Phil. 2.

Dum optas aliquid, vanitatem rerum vide, & dic:

Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Psalm. 72.

Dum times, oculos ad Deum attolle, & dic:

Verumtamen in imagine pertransit homo, sed frustra conturbatur. Aut enim futurum est, quod metuis, & sufficit diei malitia sua; aut non, & frustra perturbaris. Psalm. 38.

Contra desiderium placendi hominibus:

Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Tu solus Dominus, tu solus altissimus. An nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo. Credo tibi, &c. Gal. 1.
Iacob. 1.

Contra superbiam:

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. Ex te enim, &c. Luc. 14.

Contra avaritiam:

Bestius est dare quam accipere. Nolite solliciti esse quid manducetis: sicut enim pater vester quia his omnibus indigetis. Ex te, &c. Act. 20.
Matth. 6.

Contra luxuriam.

Momentaneum, quod delectat : aeternum quod cruciat, Credo tibi, &c.

Contra inuidiam.

1. Ioan. 3. Qui non diligit proximum, manet in morte. Credo tibi, &c.

Contra gulam :

Rom. 14. Regnum Dei non est esca nec potus. Credo tibi, Ex te, &c.

Contra iram :

Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Credo tibi, &c.

Contra acediam.

Ierem. 48. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Ex te, &c.

In tentatione .

*Deu. 13. v. 3. Tentas me, Domine, an a mem te, nec fines ultra id quod possum.**1. Cor. 10. En video, sine gratiâ tuâ spernerem te summum bonum pro summo malo, ut hosti terribilo placerem : aeternum luiturus momentaneâ voluptatem. At iuravi & statui custodire iudicia iustitiae tuae. Ecce appo-
sita est mihi aqua & ignis : aut tibi, Deus, aut diabolo adhaerere ne-
cessè : aut aeternum poenitere, aut gaudere ; aut vivere, aut mori. Cui
viam nisi tibi, qui amore mei dignatus es mori ? Ex te, &c.*

Dum laudaris :

Psal. 113. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Si animus aliquâ in re acquiescere velit, dicito :

*Psal. 72. Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram ? Omnis qui
sitit, veniat ad me, & bibat. Ex te enim, &c.*

Dum successus bonus est :

*1. Timot. 1. Soli Deo honor & gloria. Ex te enim, & in te, & pro te sunt omnia,**Psal. 102. Deus meus, & omnia. Benedic anima mea Domino, & omnia qua
intra me sunt, nomini sancto ejus.*Vesperis conscientiam examina, & lectum ingressurus, 1. gratias
age, 2. gratiam pete, ut scias & peccata detesteris. 3. examina
te, 4. dolorem excita, 5. propone emendationem, & dic :*Psal. 30. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum : cogitando
fore forsitam ultimam noctem, & percunctando ex te an ad
mortem paratus sis, & amoris actum excita.*

FINIS LIBRI PRIMI.

QUARTÆ